adversatur Conciliis. ergo nequeunt mali immobiliter malo adhaerent ratione suae naturae.
Conf. 1. angelus post peccatum habet eadem principia libertatis, ac ante.
ergo cum potuerit non peccare, poterit peccato commisso voluntatem mutare.
Conf. 2. non solum inceptio imo electionis peccaminosae est peccatum, sed
etiam eius continuatio. ergo eius continuatio est libera; adeoque eius continu-
atio est possibilis. Add. Angeli de facto mutant voluntatem de bo-
na in malam. nam in primo instanti omnes Angeli habuerunt rectam
electionem; in secundo instanti Angeli mali reliquerunt primam electionem.
Item diabolus prius per Iudam proditorem procuravit mortem Christi,
et postea per uxorem Pilati voluit mortem impedire. ergo angeli de-
facto mutant voluntatem.

297. R. verum esse, angelos solum ex gratia Dei esse im-
mutabiles in bono; quia licet angelus ex proprio modo operandi petat
inflexibilitatem post electionem, tamen quod ista sit in bono et non in malo,
ex magna Dei gratia dependit, quam si Deus suspenderet, in malo ob-
stinarentur. quod si aliquando Patres afferant, angelum esse simpliciter mobilem,
non loquuntur de mobilitate per retractationem, sed de mobilitate circa
diversa obiecta, quae de novo accidunt, licet sub eodem fine, quem
prius elegit. vel loquuntur, angelum esse simpliciter flexibilem ante,
et non post electionem, ut explicat D. Tho. dicens: voluntas Angeli, si consi-
deretur ante adhaesionem, potest libere et huic, et opposito adhaerere. sed
postquam iam adhaesit, immobiliter adhaeret.

298. Ad 1 Conf. dico: habet eadem principia libertatis, sed in di-
versis circumstantiis concedo. in eadem suppositione et circumstantiis nego. nam
libertas angeli post peccatum est composita cum plena, et perfecta adhaesione
ad obiectum, qualiter composita non erat ante instans adhaesionis.
Ad 2 Conf. dico: concedo. eius continuatio est libera in causa et potentia antecedente concedo.
est libera formaliter, et ex suppositione inceptionis nego. concedo. ac proinde eius
non continuatio fuit absolute possibilis, fuit autem impossibilis ex suppositione.
Ceterum ut angelus continuo peccet in continuatione illius pravi af-
fectus erga ultimum finem sufficit, quod libere inceperit illum actum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII72/0120
gefördert durch
Baden-Württemberg